



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mechlinia Illustrata Luce Miraculorum S. Francisci Xaverii
Orbis Utriusque Solis Ac Thaumaturgi Chronicis Distichis
evulgata Anno M.D.C.LXVI.**

Grumsel, Gérard

Mechliniae, 1666

Approbationes Miraculorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13399

MIRACULORUM.

PRIMA

*Andreas Dei & Apostolicae Sedis gratia
Archiepiscopus Mechliniensis Eccl. omnibus
has visuris salutem in Domino.*

Cum in hunc approbatissimus Sacras Reliquias de Brachio dextero Sancti Francisci Xaverii Indiarum Apostoli, easque publicae veneratioi exponendas esse decreverimus, quò magis Dei cultus, qui in Sanctorum suorum honoribus honoratur, caperet incrementum, ilisque rite & solemniter in Templo R. R. Patrum Societatis IESU Collegii, & Domus Probationis Mechliniensis expositis, tantà in veneratione, tam à populo Mechlinensi, quàm à circumiacentibus haberi cæptæ sint, ut Divina Bonitas, quæ innumeris miraculis per varias mundi plagas hunc Sanctum suum mirificavit, hanc etiam Christi Fidelium devotionem variis signis & subitaneis curationibus ostenderit sibi esse acceptam. Nos igitur, quibus nihil magis cordi est, quàm ut honor Dei nostri, qui Zelotes est, in creaturis suis erga Sanctos suos crescat, & incessabili gratiarum actione laudetur, deputavimus è Capitulo nostro Metropolitico R. R. Admod. D. D. Confratres nostros *Dismam Corten* Cantorem, & *Franciscum vanden Driessche* Archipresbyterum, J. U. Licentiatos & Canonicos, qui juxta SS. Canones & Sacrosancti Concilii Tridentini formam, examinarent sollicitè omnia, quæ ad nos miraculosè accidisse indies delata sunt. Quibus discussis, & examinatis informationibus Medicorum, & testium depositionibus in approbandis Miraculis adhiberi solitis (ex quibus constat & liquet *Joannem Gommaertum* Juvenem octodecim annorum à gravissima

vissimā Phrenitide , & morbo furioso , matre ejus Sarā Diffon ad Sacras Sancti Francisci Xaverii Reliquias pro filio suo votum faciente, precesque fundente, subitanè & perfectè curatum esse: Item Annam van Bael àtatis annorum septemdecim, dum ad dictas S. Reliquias per Novenarii preces fundit & votum , finistri oculi triennali cœcitate curatam, & ex dextero, qui propemodum ex duobus floccis, seu pelliculis illi incumbentibus omni potentia yisivâ destitutus erat, planè sanatam, ut utrâque oculorum acie ab eo tempore perfectè utatur) Nos de virorum gravium consilio & assensu, in Dei nomine, utramque istam in dictis Joanne Gommaerts, & Anna van Bael curationem, prout latius in dictis informationibus probata est, supernaturalem, & non nisi Divinâ virtute & Miraculo factam esse, & Sancti Francisci Xaverii intercessioni adscribi posse declaravimus. (in puncto trium calculorum nostrorum felicis sectionis, quam etiam magni illius Sancti intercessioni summâ fiduciâ commendaveramus) & declaramus per præsentes: Exhortantes omnes Christi fideles ad sacram diætarum Reliquiarum venerationem & cultum, ut per intercessionem S. Xaverii tam à mentis, quam à corporis infirmitatibus in Domino mereantur liberari.

Datum Bruxellæ in Aula nostra Archiepiscopali sub nostris signatura & sigillo die
10. Mensis Maii, Anno Domini M.DC.LX.

Locus + sigilli.

Andreas Archiepis. Mechliniensis.

Q. 2

SE-



SECU N D A.

ANDREAS Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Mechliniensis &c. Omnibus has visuris salutem in Domino.

CVM juxta commissionem nostram jam pridem datam Reverendis admodum Dominis Distmæ Corten Cantori & Francisco vanden Driesche Archipresbytero Ecclesie nostræ Metropolitanæ Canonicis, super inquisitione facienda de portentosis sanationibus factis in personis, quæ recursum suum cum fiducia habuerunt ad Sanctas Reliquias S. Francisci Xaverii per approbationem nostram expositas fidelium venerationi in templo Societatis IESU Mechliniae: quodque iudicium Domini sedulâ diligentia & industria commissioni nostræ incumbentes, nobis varia legalia, & omni proposita fraude carentia exhibuerunt, ex quibus patent & probata sunt sequentia: Quod Joannes de Regere Mechliniensis septennis filius Martini toto corpore ulceribus plenus & pure fluentibus, dum pro eo parentes & amici vota ferunt, Novenamque devotè instituant ante dictas Reliquias dictæ Novenæ tempore nullis adhibitis medicamentis, quæ anteas sæpius in vanum fuerant adhibita, perfecit & purissime fuerit sanatus: Item quod Renerus Tys villicus in Wavriâ S. Catharinæ, qui spatio novem annorum utramque tibiam habuerat ulceribus tæbe fluentibus plenam, voto facto inviendi dictas Sanctas Reliquias spatio octo dierum perfectissimè fuerit sanatus, ita ut ne quidem cicatrices apparerent: denique quod Jacoba van Binnebeeck atatis 35. annorum fuerit gravissimè intoxicata & variis morbis afflicta per spatium quatuor annorum, ita ut sæpius evomuerit magnam quantitatem crinitum in formam globorum implicitorum, atque etiam clavos ferreos tam magnos, quam parvos, aciculas, capillos, uncos, & notabilem hamum piscis, & alia id genus: quare à diversis Religiosis sæpius fuerit exorcisata, sed in vanum; tandem post osculatas tribus distinctis diebus per eamdem dictas Reliquias ab omni morbo & intoxicatione perfectissimè fuerit eodem tempore sanata.

Quas

Quas quidem subitas *¶* mirabiles sanationes diligent per nos facto
examine in talibus adhiberi solito, tenore praesentum declaramus su-
pernaturales, *¶* miraculis adscribimus, *¶* ut tales volumus pu-
blicari, ut Christi Fideles excitentur ad devotas preces fundendas.
Divinae Bonitati, quae per intercessionem magni illius Indianorum
Apostoli Sancti FRANCISCI XAVERII talia signa *¶* dona
desuper elargiri dignata est: ut quod in tribus hinc personis acci-
disse *¶* miramur *¶* veneramur, etiam in omnibus necessitatibus
nostris eundem apud Majestatem Divinam habeamus patronum. In
quorum fidem praesentes signatur *¶* sigillo nostris munitas dedi-
mus.

Mechliniae die quartâ Mensis Novembris
Anno Domini. M. DC. LX.

Locus *¶* Sigilli.

Andreas Archiepiscopus Mechliniensis

T E R T I A.

ANDREAS Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Mechliniensis &c. Omnibus has visuris salutem in Domino.

Quemadmodum inter varias urbes, quæ sacras Sancti FRANCISCI XAVERII colunt Reliquias; in primis in Belgio eminet Mechlinia Diocesis nostra sedes, ubi primum ille Nobis approbantibus publicæ venerationi in templo Societatis JESU fuere expositæ: ita ad plura *¶* illustriora conferenda beneficia, per miraculosum *¶* beneficium brachium Servi sui, ibidem indies Divina Manus sese extendit. Nam præter ea, quæ à nobis *¶* aliis Ecclesiæ Præsulibus mature examinata atque ritè antehac approbata sunt beneficia ac miracula; intellectimus non ita pridem, gloriosum illum Indianum Apostolum fecisse iterum prodigiosam sane potentiam in
brachio

brachio suo. Quod ut certius nobis *D* omnibus constet, bisce notum facimus, accuratè inquire jussisse nos in subitam, hodieque perseverantem sanationem à novennali Hernia, quam prædicti Sancti beneficio civis quidam Mechliniensis impetravit, uti ex consequente authenticâ narratione ad nos transmissa fit manifestum.

Guilielmus Ploegaerts ætatis annum agens quintum supra septuagatinum, novem omnino annos gravissimis Herniae intestinalis cruciatibus affictus fuit, extuberante sæpius malo ad magnitudinem infantilis capitis. Hujus rei oculata testis est *Margareta de Hooch Guilielmi* conjux: & præterea *Ludovicus van Bael*, qui non semel juratus depositus, se prædictum Guilielmum præ dolore immœnibus prostratum, & procedere non valentem, manu suâ admotâ, ita affectum, paucis, antequam sanatus est, diebus deprehendisse. Quem etiam à quatuor, aut quinque retro annis, quibus cum eo laboravit, non raro animadvertisit ex eo malo ab opere desistere debuisse.

Fecerat enim virum morbi vis jam ab initio laboribus planè imparem accrescentibus in dies doloribus. Adeo vehementer, potissimum eâ nocte, quæ undecimam mensis Decembris diem Anno 1662. subsecuta est, cruciatus fuit, ut sibi supremam horam proprius instare persuaderet: protestatus beneficii loco habiturum se, si violentâ licet morte, miserabilem clauderet vitam. Inter vicinos lamentantis ejulatibus somno excitatos, filia quædam, sub horam à media nocte primam, in levamen ægri, & ipso quidem inscio, votum fecit S. FRANCISCO XAVERIO Mechliniæ ad miraculosa ejus Lipsana persolvendum. Facto voto cessat audiri omnis omnino ægri lamentatio. Primo mane adit Guilielmi domum vicina, percunctatur qui valeat: respondet Magdalena Guilielmi filia, jam inde ab hora noctis prima hucusque levi somno obdormiscere. Tum verò vicina: at, inquit, hâc ipsâ noctis horâ in solarium parentis tui magno illi Indianum Apostolο FRANCISCO XAVERIO votum emisit, quod protinus persolvam. Iam inde à concepto illo persolitoque voto, ad hodiernam usque diem perstat Guilielmo perfecta curatio: nec ullum prorsus interea temporis, quod duos jam annos complectitur, ex antiquo malo dolorem

rem sensit: incessit, peregrè profectus est, laboravit eâ facilitate
ac si nunquam ullis Herniæ cruciatibus affectus fuisset. Quin imò
vir id ætatis, primâ Maii Anni 1663, à recuperata valetudine mense
sextø, Mechliniâ Antwerpianam sarcinâ onustus, uno eodemque die,
pedes pervenit, alacerque reversus est. Deinde inter ardentissi-
mos solis æstivii calores rursus Mechliniâ Bruxellam unius diei spa-
tio ivit redivitque sanus & incolumis. Testatur præterea Guiliel-
mus duobus ab obtenta sanitate annis sese consuetis artis suæ,
quam profitetur, laboribus sane difficultibus, (olior enim est) citra
ullum doloris sensum strenuè persunctum esse, todisse, semijs ter-
ræ mandasse, humido frigidoque solo, horti sui excolendi gratiâ
ad multis horas incubuisse, & cetera ejusmodi laboriosa opera
fecisse, quæ Herniæ malo maximè adversari experientia edocet.
Item plantasse, loco suo dinovisse, ascendisse arbores, & quidem
nuperâ estate ex una earum justæ magnitudinis casu in terram cor-
ruisse, nullo prorsus antiqui mali apparente indicio. Quamvis
antea, totis novem, quibus eo afflictus fuerat, annis, tum potis-
sum, cum aut cœlum humidius, ac frigidius esset, aut artis suæ
laboribus non nihil intendisset, ingenti doloris sensu, continuo
è corpore erumperet, ingravesceretque.

Posteaquam ad aures nostras à pluribus viris fide dignis hæc om-
nia pervenissent; de iis per Reverendos admodum Dominos Antonium
Vermeulen S. Theologiae Licentiatum & Ecclesiæ nostra Metropoli-
tanæ Canonicum graduatum; & Joannem Baptystam Bernartum
ejusdem Ecclesiæ Plebanum ac Canonicum, Commissarios ad hoc depu-
tatos ex nostro mandato, captae sunt de singulis informationes, in for-
ma legitima: quibus prædictus Guilielmus ejusque uxor, ac filia &
Ludovicus van Dael jurati subscripsere, quasque iidem R. R. DD:
Commissarii sua manu firmarunt, & ad nos transmiserunt. Accesserunt
præterea multiplicia nominatissimorum Medicorum testimonia,
Mechliniensium, Antwerpensium, Bruxellensum, & duorum pri-
miorum Medicinæ Professorum ac Doctorum in celeberrima Acadé-
mia Lovaniensi: qui pari omnes consensu attestantur, ejusdem subitam
ac constantem à novennali Hernia liberationem in vitro 75. annorum,
supra naturæ vires esse. Quibus auditis & coram Deo mature ex-
pensis

pensis, nec non super eo etiam Theologorum & aliorum doctorum
virorum habito consilio juxta modum in approbatione novorum Miran-
culturum à Concilio Tridentino præscriptum: conformantes nos R.R.
D.D. Commisariorum sententia; qui mature & accuratè omnia ex-
aminarunt, & appenderunt: decernendum duximus, prout per pre-
sentes decernimus, posse & debere dictam Guilielmi sanationem mi-
raculosam, & per merita S.FRANCISCI XAVERII a Deo factam
& impetratam censi, & publicari, & ut tales publicamus, ac
decernimus. In quorum fidem basce manu & sigillo nostris munici-
tas per Secretarium nostrum expediri jussimus, Deum qui glorifican-
tes se glorificat, & in Sanctorum suorum honoribus honoratur, hu-
mileriter deprecantes, ut sicut Beati F RANCISCI XAVERII
gloriosa merita ac beneficia experti & venerabundi agnoscimus; ita
ejus pia patrocinia deinceps saepius sentiamus.

Datum Bruxellis, die
23. Mensis Novemb.
Anno Domini 1664.

Locus + sigilli.

Andreas Archiepis. Mechliniensis

Q U A R T A.

Judocus Houbraken Ecclesiae Cath. Antverpiensis Canonicus, & Episcopatus Sylvæducensis vacantis Vicarius generalis Omnibus has visuris salutē in Domino.

In ter indubitata veræ Ecclesiæ signa, miracula sunt, in infideliū ad fidem conversionem, & fidelium in eadem confirmationem quandoque patrari solita. Eximè iis claruit in vita, & post mortem S. FRANCISCUS XAVERIUS è Societate JESU Indianum, ac Japoniarum gloriósus Apostolus, quem miraculosum, ac beneficium Brachium suum, cuius particula aliqua Mechliniæ in templo Societatis JESU publica venerationi est exposita, etiam ad subditos nostros extendisse intelleximus. Quod ut certius constet, hisce testatum facimus, segnillatim inquisivisse nos, & inquiriri curasse in liberationem à maligna febri, subitamque virium instaurationem, quam ejus beneficio filia quædam in Diœcesi nostra Sylvæducensi, hoc, qui subjungitur, modo est consecuta.

Cum Anno 1662. Bredæ pestis graſſaretur, laboranti illic fratri adstitit N. N. Villica è territorio Sylvæducensi. Domum redux, & ipsa cœpit Malignâ febri laborare, & maritum, filios duos, ac filiam Catharinam 22. annos natam infecit. Matre primùm, ac mox Patre malignitate morbi sublatis, & fratribus subinde eadē correptis, Catharina inde à 26. die Julii usque ad 23. Augusti ita continuatis ejusdem ardoribus est exhausta, ut viribus, ac mente tandem etiam deſtitutæ, cum nullum ſupereret in arte remedium, vitæ ulterioris ſpem denegarit expertus Chirurgus, qui scripto hæc, quæ narramus, inter alios juratus iteratò confirmavit. Indubitata opinio erat inter amicos, ac vicinos pestiferâ lue domum infectam. Non erat itaque, qui ſolatium ægris, qui necessarium obsequium præstaret. Non defuerit tamen defertos ab omnibus ſuus Pastor confiſsus per merita, & intercessionem S. FRANCISCI XAVERII, & ægros liberandos à morbo, & ſe à contagione ſervandum. Cum ergo Catharinam ſub ſeram vesperam ſacram unctione muniuiſſet, eodem vespere regressus S. FRANCISCI XAVERII imaginem attulit, quæ facr. ejus Reliquias Mechliniæ

R

Mira-

Miraculis claras attigerat, & Catharinae maximiè periclitanti per fratrem offerens, omnes ad fiduciam in Sancti illius intercessione apud Deum locandam excitavit. Jam quartum, quintumve diem jacuerat Catharina impotens se mouere, oblatam imaginem arripuit, & osculta est magnâ cum fiduciâ, quam ut porrò per noctem foveret Pastor adhortatus, domum se recepit. In sequente die bene mane, nemine opitulante, nemine conscientia vestibus se suis induit, lecto eripuit Catharina, & ædes in ambulavit. Quin & in campum illo ipso die egressura fuit, pabulumque jumentis quæsitura, nî fratres continuissent: postridie reipsâ quæsivit: cumque D. Pastor ædes interea ingressus vel mortuam vel animam agentem in lecto querit adest illa ad fôres ingenti onusta corbe, pabulumque in agro collectum infert. Hæsit attonitus Beneficii novitate D. Pastor: mox increpuit, quod tam temerè cæli se, solisque injuriis, ac recidivæ periculo commisisset; filenter illa: sollicitudinem mitte, inquit, nihil periculi subest, ab hesterno mane me Sanctus ille persanavit, ac viribus restituit.

Hæc omnia cum ad nos fuissent in legitimo instrumento delata; cui D. Pastor, ipsa Catharina, Chirurgus, fratres duo, aliique consanguinei, & vicini jurati subscripserant: constituimus primum Commissarium in partibus illis virum probum, & intelligentem, qui postquam in omnia nostro nomine inquisivit, iteratoque, interposita jurisjurandi fide, eadem ex Catharina intellexit, omnia sua etiam signaturâ firmavit: deinde nos ipsi coram hâc Antverpiæ prædictam Catharinam in praesentiâ sui Pastoris omnium concii examinavimus, & sub eâdem religione sic omnia accidisse comperimus. Quibus compertis cum etiam nobis submissa scripto fuissent expertissimum Medicorum Judicia, hâc super re consultorum, Tungrensis, Bruxellensis, ac præsertim duorum primiorum Doctorum, ac Medicinæ Professorum, aliorumque duorum celeberrimæ Academiæ Lovaniensis unanimiter censemus, istam virium restauracionem naturæ vi tam exiguo temporis spatio obtineri non potuisse; ut nihil non ritè, ac juxta Concilii Tridentini placita perageremus, viros doctos ac Theologiae peritos consuluumus, ac coram, & cum iis iterum prædictam Catharinam audivimus, omnibusque tandem co-

ram

ram Deo maturè consideratis, decernendum post longam, & sèpius iteratam inquisitionem putavimus, prout per præsentes decernimus, posse dittæ Catharinæ sanationem tamquam miraculosam, & per merita Sancti FRANCISCI XAVERII à Deo factam, & impetratam censeri, & publicari; & ut talem publicamus & censere nos testamur: Autorem omnium Deum rogantes, ut sicut Indianorum gentes Sancti FRANCISCI XAVERII dum vixit, prædicione, & Miraculis Ecclesiæ suæ aggregare voluit, ita modo hinc in partibus ejusdem Miraculis, & intercessione fideles popules velit in eadem conservare, & confirmare; eosque, qui quovis errore ab ead segregati sunt, ad eamdem benignè reducere. In horum omnium fidem basce manu propriâ signavi, & Vicariatū nostri sigillo muniri curavi. Die XIX. Mensis Martii, Anno Domini 1664.

Locus * Sigilli.

J. HOEBRAKEN

APPROBATIONES BENEFICIORUM

§. 1.

ANDREAS Dei, & Apostolicæ sedis gratiâ Archiepiscopus Mechlinien: Omnibus has visuris salutem in Domino. Cum in dies clarescant plura, ac plura Beneficia quæ divina manus largè conferre dignoscitur ad sacras Reliquias de Brachio dextero magni Indianorum Apostoli S. FRANCISCI XAVERII in templo Societatis JESU Mechlinie fidelium venerationi, nobis approban- tibus expositas, de iisque per Revend. Admodum Dominos Commissarios ad hoc deputatos legitime sint captae informationes: Nos per eos debite informati (quamquam non dubitarent quin complura Miraculis à nobis merito adscribi posse viderentur) maturiori adhuc examini illa cum aliis reservan- tes neque certi quidquam in præsentiarum decernentes, vulgari typis omnia dumtaxat permittimus, in fide bonâ eorum, quis è S. FRANCISCO XAVERIO accepisse apud supradictos Reverendos Admodum Dominos Commissarios legitimè deposituere, ut videant omnes non esse abbreviatam manum Domini, quin salvare possit, etiam in particula Brachii Servi sui: adeoque incitentur ad divinam ejus misericordiam per Sancti sui intercessionem ferventiù implorandam, & felicius consequendam. Datum Mechlinie die decimâ sextâ Mensis Februarii, Anno Domini 1662.

Locus * Sigilli.

ANDRÉAS Archiepiscopus Méchliniensis